



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XII. Gebhard Edler von Arnstein übernimmt die Schirmvogtei des Klosters Leitzkau, am 16. August 1211.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XII. Gebhard Edler von Arnstein übernimmt die Schirmvogtei des Klosters Litzkau,
am 16. August 1211.

In nomine Domini amen. Ego Geuehardus, nobilis dictus de Arnstein, qualiter ecclesiam Litzkensem cum suis hominibus in mea protectione susceperim, et quomodo iudicium in subditos ipsorum ad me deuolutum sit, huic pagine annotare feci ad cautelam presentium et notitiam futurorum. Cum venerabilis pater dominus Albertus, Magdeburgensis Archiepiscopus et illustris princeps dominus meus Albertus Marchio Brandenburgensis ad diem placiti inter se assumptum prope ciuitatem Borch conuenissent et ego placitis interesssem, religiosi viri Reynerus prepositus, Paulus prior, Rudengerus Celerarius et Alexander plebanus in Cedenich cum quibusdam aliis canonicis suis de Lizke ibidem venerunt et quod ecclesiam ipsorum Lytzensem cum suis subditis in mea defensione susciperem instanter me et quam intime petiuerunt, adiicientes etiam hoc, quod denarii qui vulgariter dicuntur Vogetpennige videlicet VII. talenta cum VII. solidis et frumentum quod dicitur Huntkorn scilicet XXI. choros cum X. modiis vtriusque frumenti ordeï et auene ad expensas iudicis pertinentes annuo tempore mihi et heredibus meis ipsorumque successoribus dare deberent subditi ipsorum, sicut ante tempora ista Euerero et Richardo ejus filio dominis de Lyndowe, ipsorum quondam defensoribus ac iudicibus dare consueuissent. Preterea volentes pro correptione et insolentiis subditorum suorum compescenda, quod Aduocatus meus ter in anno tantum videlicet feria secunda post pascha, feria secunda in rogationibus et feria secunda proxima post epiphaniam domini in proprietate ecclesie in monte videlicet aut in allodio ante ecclesiam sito nomine ipsius ecclesie iudicio presideat, excessus et insolentias populi corrigat et tertius denarius cadens in iudicio qui vulgariter dicitur Weddepennige meis vrbibus applicetur, reliquos vero duos denarios in signum proprietatis Aduocatie sibi retinuerunt. Hos tantum casus et nullos alios aduocatus meus siue successorum meorum iudicare debet, videlicet de homicidio, de furto, de casu qui dicitur Hufstuckinge, de violento capto seminarum, de sanguinis effusione vi armorum facta. Alia vero omnia Nuntius ecclesie ad hoc destinatus consilio populi tractet et disponat, et nunquam ipse aduocatus nisi ab ecclesia vocatus iudicio se ingerere debet, preterquam in casibus et in temporibus supra dictis, nec iudicaturus assumet sibi quemlibet de suis sed de ecclesia, iuxta id quod placuerit preposito, qui cum eo iudicio presideant et in discernendis causis et adiuuendis iudiciis collaborent promouendo iustitiam presentibus accusatoribus et accusatis. Ego vero beniuolentiam ipsorum erga me attendens, et orationibus ipsorum tam in vita quam in morte participari cupiens, ob reuerentiam dei et B. virginis Marie ac in remedium salutis anime mee defensionem dicte Lytzenensis ecclesie cum iudicio subditorum suorum acceptaui et accepto, et tam nomine meo quam nomine heredum meorum omniumque ipsorum successorum veram protectionem tanquam nostris subditis bona fide repromitto. Nec aliquas exactiones ultra premissa a populo exigere volumus vel expetere; sed premissis omnibus contenti existere, nisi forsitan quicquam datum nobis fuerit de vltronea populi et ecclesie voluntate. Et ad hec omnia et singula obseruanda quamdiu ecclesiam Litzkensem cum suis subditis in nostra habuerimus defensione, astringo me et heredes meos ipsorumque successores vsque in infinitum et obligo in his scriptis. Insuper adiectum fuit inter nos; quod si ego vel heredes mei aut eorum filii vel successores contra supradicta faceremus, videlicet expensis aut seruitiis ecclesiam vel suos subditos grauando, exactiones aut violentias eisdem faciendo, vel si iudicium in subditos ecclesie non secundum formam suprapositam, sed ad

nostrum velle peragi per nostros aduocatos faceremus, aut ipsam ecclesiam cum suis hominibus contra ipsorum inuadentes tamquam nostros subditos non defenderemus aut certe ipsa ecclesia cum suis subditis si per nostros inimicos tempore nostre verberationis nimium deprimeretur nostrique de causa grauaretur, siue etiam iudicium ecclesie subditorum quod rogati suscepimus tamquam aduocatiam venderemus vel etiam idem iudicium aliis locaremus, quod omnino facere non possumus nec debemus, extunc damus eidem ecclesie cum suis causam et viam a nobis recedendi, nam tunc possunt ecclesia Litzkenfis cum suis subditis iusta de causa a nobis recedere etiam preter nostram voluntatem, et per se suos subditos regere, vel si placet alium sibi potest eligere defensorem, et tunc omnia illa que ego vel heredes mei aut ipsorum successores pro defensione et iudicio ipsorum annuo tempore consequi solebamur videlicet denarii qui dicuntur Vogetpennige supradicti et frumentum quod dicitur Huntkorn et tertius denarius iudicialis qui dicitur Weddepennige, et si qua sunt alia ad iudicia pertinentia libere redibunt ad ecclesiam Letzkenfem supradictam, neque heredes mei aut eorum successores si vsque ad decimam lineam aut vltra descenderent prefate Letzkenfi ecclesie defensionem et iudicium tanquam Aduocatiam iure hereditario, ad eos deuolutam ex temporum vel annorum diturnitate, etiam si per CC. vel mille annos possederint modo quouis poterunt vel debebunt sibi prescribere, quia re vera nullo donationis, nullo emtionis, nullo proprietatis vel hereditatis aut nullo pheidii titulo iudicium et protectionem dicte Letzkenfis ecclesie possideo, quod sicut ante dictum est, non vt Aduocatus institutus, sed tamquam defensor precibus exoratus propter deum et salutem anime mee et propter salutem animarum omnium predecessorum meorum et successorum meorum suscipi et suscipio sique posteris meis et non alio modo, quam supra scriptum est, si defensores et iudices subditorum predictae Letzkenfis ecclesie esse voluerint, tenenda et habenda relinquo. Igitur ne heredes meos aut ipsorum quoslibet successores si apud eos aliquamdiu permanferit iudicium et protectio subditorum memorate Letzkenfis ecclesie, cum eidem ecclesie contingat aliquatenus discordare super iudicio memorato, vt veritas magis pateat et dubium omne conquiescat, sepedicte Letzkenfi ecclesie per Alexandrum in Cedenich plebanum ipsorum concanonicum transmissi hoc testimoniale scriptum sigilli mei appensione roboratum ad noticiam clariorem quorumlibet futurorum. Testes horum sunt venerabiles patres Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Baldewynus Brandenburgensis episcopus, Guncelinus Brandenburg. prepositus, Henricus Plebanus in Mokerne, Magister Arnoldus de Pethene, Borchardus vicarius in Borch, dominus meus Albertus Marchio Brandenburgensis, Badericus Comes de Beltitz, Rudolphus miles dapifer, Gumbertus de Luborch, Richardus de Czerwift, Richardus de Plawe, Henricus de Lotzowe, Sifridus prefectus de Letzka, Iohannes Kelme aduocatus meus, et alii quam plures clerici ac laici fide digni. Datum Borch anno dominice incarnationis M^o. CC^o. XI. in crastino assumptionis B. Marie virginis gloriose.

Auscultata et collationata est presens copia per me Arnoldum Kramptzo Clericum ciuitatis Halberstad. publicum sacra imperiali auctoritate notarium, et concordat cum suo originali sigillato quod attestor manu propria.

Nach einer Copie des 16. Jahrhunderts.